



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Annunciatio B. M. V. 25. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ANNUNCIATIO B. M. V. 25. Martii.

Hic ille dies est, quo non tam VIRGINI, quam mortalibus omnibus salutem Cælū nuntiavit. Nam cum homini consulere in humanā imagine DEVS statuisset, eamque in rem jam olim præ omnibus sibi in matrem MARIAM legisset; ad illam legatum Gabrielem misit, qui postulata exponeret, & VIRGINIS Cælitum nomine assensum peteret. Fecit hic imperata, & lætissimum illud Avæ lætus MARIÆ tulit, aliaque in laudē addidit, quæ Angelum imitantes homines meritò quotidie gaudemus iterare. Sed nunquam pulchrius illi erubuit, quam ad tot laudes suas; mirante nimirum honorem suum modestiā, quā nemo unquam minus agnoscit dotes suas, nemo minus libenter extolli audit. Itaque aggressus timorem adimeret beatus Nuntius, matrem fore vaticinatur DEVS, inde nomen adjicit filii; scepra item & regna (omnia æternatura) promittit. MARIA, vel quòd quænam virgo paritura esset nesciret, vel quòd mater sine virgine esse nollet, longè magis hæsitare, & de pudore, quem DEO voverat, anxia, quæ id fieri posset, rogare. Mox tamen, ut ille arcanum rei ordinem enarravit, ANCILLAM modestissimè se præfata annuit, & verbum illud expectatissimū, FIAT pronuntiavit. Tunc HOMO DEVS & DEVS HOMO potuit dici. Tunc VIRGO quod DEVS fecit, & unico verbo, quo hic orbem antè creavit, illa re creavit. Ex S. Luca & Ioan.

Inter gratias Virginis præcipuè redolebat Myrrha Castitatis & Thus Pietatis. Odor iste super omnia aromata, Dominū Majestatis de Excelsis attrahit & iuvitat ut inclinet calos & descendat. Gueric. l. i. de Annunc.